



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Croesvs Et Codrvs. hoc est, Copiæ Et Inopiæ Damna vel
Lvcra, à bono iustoq[ue] Mundi Gubernatore Deo
Distribvta**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1648

§. 11. Cræsi exitus infelix.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52359)

§. XI.

Cræsi exitus infelix.

Ita ridentur à stultis sapientes. Ita cum Phrygibus sapiunt, quos Plutus excæcat. Sed serò tandem palinodiam cantant. Quod & Cræso accidit. Nam post abitum Solonis, inquit auctor, ingens deorum indignatio Cræsum excepit. id quod credibile est ei ideo accidisse, quoniam seipsum omnium hominū beatissimum arbitratus fuisset. Patuit enim tunc fortunam esse fugacem. Nam primò eum somnium exterruit. Dein filius in venatione aprorum, ab illo ipso occisus, cui in custodiam datus erat, contristauit. Tertio oraculo malè intellecto deceptus est. Quarto infeliciter cum Cyro pugnavit. Quintò Sardis vrbs est expugnata. Sextò ipse Cræsus viuis captus. Itaque Persæ & Sardibus petiti sunt, & Cræso viuis, cùm regnasset annos quatuordecim, totidemq; dies fuisset obsessus, amissa magno imperio, ut ei fuerat responsum. Eum captum Persæ ad Cyrum perduxerunt, quē ille vinctum compedibus, super ingentem, quam struxerat, lignorum struem imponit, circaq; eum bis septem Lydorum filios, siue habens in animo primitias has alicui Deo offerre, siue volens votum persolvere, siue cupidus sciendi, num quis demonum

Gg +

libera.

liberaret Cræsum, quē religiosum esse audierat,
 quò minùs pyra impositus viuus concremaretur.
 Hac quidem Cyrum fecisse aiunt. Cræso
 autem super pyram stanti, et si in tanta calamitate
 posito, tamen venisse in mentē Solonis, quod
 ab eo sibi nutu Dei fuisset dictum, ex viventibus
 beatum esse neminem. Quod dictum ubi subijt
 Cræso, ferunt eum ex vehemēti defectiōe ani-
 mi victum ingemiscētem ter Solonem nominasse,
 & Cyrum, cū audisset, iussisse interpretem
 eum percontari. Quanam invocaret? illosq; ac-
 cedentes fuisse percontatos, & huac interroga-
 tum silentium egisse. Deinde cū loqui cogere-
 tur, dixisse: Illum nominavi, qui ut omnes ty-
 rannos alloqueretur, ego quā ingentem pecu-
 niam, praoptarem. Eum non planè loquentem,
 rursus interrogat, quidnam esset, quod dixisset.
 Efflagitantibus atq; instantibus interrogations,
 inquit, quemadmodum Solon, qui esset Atheni-
 ensis, ad ipsum à principio venisset, & intuitu
 omnes eius opes coram, pro nihilo duxisset. Adde
 quæ de ipso dixerat, ea omnia euenisse: neque hoc
 magis de seipso, quā de omni hominum genere,
 & de his præsertim, qui sibipsis beati videntur.
 Hac Cræso referente, jam pyra incensa,
 ardere extrema cœpisse, & Cyrum auditis per
 interpretem, quæ Cræsus dixisset, pœnituisse
 cūm

cum se quoque hominem esse cognosceret, qui alium hominem, qui inferior non fuisset opibus, vinum rogo traderet. Præterea veritum ob id pœnam, ac reputantem, nihil esse rebus humanis stabile, iussisse ignem celerrime extinguere jam incensum, Cræsumque deponi, & qua circa eum erant. Verum eos, qui ignem jam conabantur extinguere, non euasisse.

§. XII.

Quomodo is, qui falso se, cum Cræso felices iudicarunt, resipiscendum?

Huc usque Cræsi, diuitumque omnium, qui in opibus beatitudinem suam constituunt, miseria. Nempe ita & ipsi loquentur, cum diuite epulone in inferno, & damnatorum flamma cruciati. Ibi frustra, quia serò deplorabunt suam insaniam, cum non iam Soloni, sed neque ipsi Christo crediderint, qui non dixit: *Beati diuites*, sed *Beati pauperes*, itemque: *Vae vobis diuitibus*. Sed hoc vae nondum credunt, quia nondum sentiunt, alioquin & ipsi sibi facerent amicos de mammona iniquitatis. Nam audi, quid de Cræso memoret Herodotus, Iusserat iam Cyrus rogam dirui, pyramque extinguere, sed indomitam. ait igitur, *ibi Cræsum, cognita per Lydos Cyri pœnitentia cum*

Matth. 5.

Luc. 6. 24.

Luc. 16. 9.

Gg 5

cerneres